

CAPUT X.

Post causas fidei et unitatis, disciplina Ecclesiæ generaliter spectanda est, tanquam objectum potestatis sacrae, et advocatæ principum.

ccclxxxix. Disciplinæ summa genera quatuor constituantur.

cccxc. Quid juris divini sit, aut referri ad disciplinam variabilem debeat, Ecclesia definit.

cccxci. Eadem jure gaudet informandi, ac constituendi disciplinam.

cccxci. Regulæ de mutatione disciplinæ.

cccxci. De qua re multa falso opinantur nonnulli.

ccxciv. Memorabilis disciplinæ articulus ea sunt impedimenta dirimentia matrimonii, quæ juri divino attribui néqueunt.

CAPUT XI.

Enumerantur objecta quædam particularia, circa quæ potestas sacra et rectoria Ecclesiæ versatur.

ccxcv. Jus Papæ, episcoporum, principum circa concilia. Dupli sane modo spectari possunt concilia, tum ut subjectum sacræ potestatis, tum ut objectum ejusdem. Nam circa convocationem eorundem, celebrationem, confirmationem et executionem variis juribus atque obligationibus afficiuntur et sacri hierarchæ, et politici principes.

ccxcvi. Jus circa creandos Ecclesiæ ministros.

ccxcvii. Jus circa bona temporalia ecclesiarum.

ccxcviii. Jus circa usum et exercitium potestatis, sive regimen Ecclesiæ.

ccxcix. Speciatim circa judicia ecclesiastica :

cccc. Circa promulgationem legum Ecclesiæ.

cccc. Placitum regum, anne necessarium sit pro regimine Ecclesiæ.

POSITIONES SELECTÆ

EX

JURISPRUDENTIA

NATURALI, ET POSITIVA.

AD DILUCULARIOS.

Ita omnium rerum novarum immoderatus amor se habet, ut ipsa sui novitate sibi et aliis admirandus in primis ferreat, citiusque sperato tepescat. Prestringit oculos coruscæ instar splendoris; qui sicut repentinus se ingerit, sic vix visus recedit. Itaque noctem illustrat, ut densiores tenebras recedens relinquat.

Petrus Cluniacensis libro II, epistola 33.

EX JURE NATURÆ PRIVATO.

I. DOCTRINA juris naturalis, ab aliis extracta ac separata disciplinis, ingentia commoda affert candidatis sublimiorum scientiarum. At abstracta a dogmate de existentia summi Dei, ejusque perfectionibus, et immortalitate animorum, ea doctrina manca est, infirma, et perniciosa.

II. Inquisitio naturalis juris a contemplatione theoretica naturæ, maximeque hominis inchoanda est, a qua provehimur ad practicas cognitiones, ipsa vi naturali cogitandi erutas.

III. Practicæ cognitiones ex contemplatione naturæ provenientes tria nobis exhibit: 1. Jura seu facultates a natura concessas: 2. obligationes a natura impositas: 3. consilia ab eadem natura nobis proposita.

IV. Obligatio naturalis vi vocis denotat vinculum, sed nempe accommodatum naturæ mentis intelligentis, validissimum, et internum; unde si notio imaginaria reducatur ad realem, haud ægre intelligitur, aliam esse activam, aliam passivam obligationem: illam in voluntate seu jussu summi Dei sitam esse: non quamvis con-

nexionem motivi cum actione pro obligatione jactitari posse.

v. Cum varia sint obligationum ac jurium naturalium genera, eorum omnium veluti communis fons ac principium investigari solet, idque in natura rerum hominique, ejusque diverso statu videtur constituendum.

vi. Natura autem hominis, si complete spectetur, necessariam involvit connexionem, seu relationem aut dependentiam a supremo conditore rerum, gubernatore, ac fine ultimo beatitatis; ut adeo parum intersit, eane natura complete sumta, an divinæ perfectiones principium esse dicantur naturalium obligationum ac jurium.

vii. Principia, quibus Thomas Hobbes in statum primogenium naturæ invenit bellum omnium in omnes, viam ac modum docent, in jure publico miscendi sacra et profana.

viii. Præter facultates et obligationes naturæ, in humanis actionibus adjuncta quoque varia, et fines agentium considerari debent, ut intelligatur earum moralitas completa.

ix. Alia præterea est plurimorum actuum affectio, qua validi dicuntur, aut iritti: in horum numero sunt illi, qui gravi et injusto metu extorquentur.

x. Spectatis principiis naturæ, apte ad binas classes reducitur ea, quæ vulgo tripartita statuitur, officiorum divisio; sunt enim officia hominis erga Deum, et hominis erga hominem.

xi. Officia hominis erga Deum, seu officia religionis partim absoluta sunt, partim hypothetica, quæ posito supernaturali hominis fine, statuque religionis revelatae per sese consequuntur.

xii. Posito eo statu nulla est autonomia, seu jus in negotio religionis pro suo arbitrio sentiendi, ac statuendi.

xiii. Differt sane indifferentismus a tolerantia, tolerantia a favore sectis exhibito, favor a jure interno secundum genuinam notionem intellecto.

xiv. Qui ex formula Pii IV animo sincere tenet, et ore publice profitetur: *extra hanc veram catholicam*

fidem (in eo symbolo expositam) *nemo salvus esse potest*; nequit de intolerantia accusari; et qui prædicationi ejus veritatis adversatur, revera prædicationi religionis catholicæ adversatur.

xv. Officia hominis erga hominem, numero, pondere et mensura, respondent analysi completæ naturæ hominis.

xvi. Lex naturalis de conservatione sui ipsius non obstat, quo minus periculo mortis se quis exponat, confitendo veram fidem, exercendo insignem caritatem, pugnando contra hostes patriæ.

xvii. Eadem vero lex obstat autochiriae.

xviii. Omnis deliberata locutio contra mentem repugnat naturali juri; neque in sensu quorundam auctorum admitti potest distinctio inter mendacium et falsiloquium.

xix. Specialia jura et officia hominis erga hominem determinat tristis favor necessitatis.

xx. Defensio cruenta cum moderamine inculpatæ tutelæ per se concessa est: ob adjuncta fieri potest, ut sit præcepta, aut prohibita.

xxi. Eadem locum non habet pro defensione honoris, unde duellum sive monomachia proprie dicta prohibita est jure naturali et divino, etiam pro statu hominis naturali, aut civitatis male ordinatae, ita ut semper illicitum sit, acceptare vel offerre duellum ad servandas cum honore fortunas, etiam tum, quando alio remedio earum jactura propulsari nequit: nec ullus metus amittendæ famæ et officii excusat a transgressione naturalis legis.

xxii. Extrema necessitas non reducit communionem bonorum, neque proprietatem dat, sed solum usum, aut etiam consumtionem concedit; at non aliter, nisi cum onere restituendi vel compensandi, postea quam necessitas transacta, et restituendi facultas præsto est.

xxiii. Ut frequentissima hominum negotia, sic et plurima officia ac jura versantur circa res externas ad vitæ humanæ necessitatem, commoditatem et honestam jucunditatem conditas. Earum rerum spectato primigenio statu non alia intelligitur communio, nisi negativa.

xxiv. Modi acquirendi primitivi sunt occupatio, et

accessio. Jus tamen occupandi occupari non potest.

xxv. Testamenti factio et præscriptio, valde consenteæ eæ quidem sunt æquitati naturali: jus tamen firmum non præstant absque adminiculo legis positivæ. Difficilior est definitio de successione ab intestato inter parentes et liberos.

xxvi. Ut jura et obligationes ex pactis et contractibus provenientes determinentur, spectanda est materia pacti, jus pacisendi, et consensus paciscentium.

xxvii. Pactum sub turpi conditione initum nullam producit obligationem, etiam impleta jam conditione.

xxviii. Ex ignorantia vel neglectu officiorum circa res externas frequens oritur obligatio restituendi, quod alteri debitum est. Hæc autem propositio: extra contractus duæ sunt radices restitutionis: *res accepta*, et *injusta* (formaliter) *acceptio*; non esse principium videtur, sed thesis magnopere controversa.

xxix. Qui proprietatem loquendi, ut oportet, in scientiis sectantur, non inepte ita statuunt: *nulla est culpa juridica*.

xxx. Juri naturali conveniens est, ut possessor bonæ fidei simul cum re evicta restituat fructus tam extantes, quam ita consumptos, ut inde locupletior evaserit, sive patrimonium suum auxerit. Huic naturali æquitati obstare potest rationabilis tribunalium praxis, aut præscriptio possessoris; leges Romanæ, quæ contra eam afferuntur, non ita claræ sunt, ut recedendum ab ea sit.

EX JURE NATURÆ SOCIALI.

xxxi. A societate veri nominis differt turba, et quodvis genus conventiculorum, quæ contra leges conflantur.

xxxii. Quando in collegiis per suffragia negotium decidendum est, in quæstionibus AN? absque majoritate suffragiorum frequenter obtinet calculus Minervæ. In quæstionibus QUOMODO? necessaria regulariter est eorum pluralitas: in certis tamen negotiis non sufficit. Exempla suppetunt tum ex SS. Canonibus, tum ex constitutione imperii Germanici, tum ex natura ipsius negotii.

xxxiii. In electionibus prælatorum optime statutum est, ut attendatur non tantum ad majorem, sed etiam ad saniorem partem suffragantium. In aliis negotiis, in quibus collegium non dependet a superiore, suffragia numeranda, non ponderanda sunt.

xxxiv. Imperium societatis inæqualis recte in tres veleni partes dividitur, inspectoriam, legislatoriam, et executoriam.

xxxv. Societas simplices sunt conjugalis, parentalis, et herilis; ex tribus hisce, vel binis exurgit societas composita familiæ.

xxxvi. Obligatio conservandæ et propagandæ speciei afficit universos, non singulos.

xxxvii. Error personæ jure naturæ dirimit matrimonii contractum: non item error qualitatis, etsi sit antecedens: neque error circa causam impulsivam, nisi transeat in conditionem, cui expresse alligatur intentio contrahentis; quod tamen non præsumitur, nec facile permittitur in contractu matrimonii.

xxxviii. Qui post sponsalia gravi et injusto metu contracta et juramento confirmata, contrahit cessante metu matrimonium, non censendus est agere ex virtute religionis, aut justitiæ.

xxxix. Nulla datur servitus originaria.

EX JURE NATURÆ PUBLICO.

xli. Status civilis non est a jure naturæ præceptivo,

xlii. Secundum receptas de modis acquirendi ideas nullus est *originarius* modus acquirendi imperii civilis.

xlii. Digna est vox majestate imperantis, principem propter populum esse, non populum propter principem.

xliii. Cum præcipius civitatum finis securitas sit eorum, qui in civitate degunt, hæc etiam existimationi et honori eorundem præstanda est. Et quamvis divinus Servator ministris et discipulis suis acerbissima odia prædixerit, et maledicta et probra, quibus onerandi essent

propter nomen suum ; hoc tamen vaticinium eventu non carebit , etsi politica potestas severas leges sanciat contra insectatores ministrorum religionis et hostes status ecclesiastici .

XLIV. Sapientissimæ sunt cautelæ , quas politia adhibet , et laudabilia remedia , quæ præscribit , ne lues , quæ in vicinia grassatur , territoriorum corripiat , vel ut homines aquis hausti , frigore torpentes , aut de cœlo perculsi sensum usum recuperent ; a potiori commendandæ sunt leges , per quas principes cavent , ne erroribus sectariorum inficiantur orthodoxi , aut sectarii ipsi in erroribus computrescant .

XLV. Dictum illud , quo sæpe utuntur quidam scriptores : *Ecclesia est in statu (civili) , non e contrario status in Ecclesia* ; si secundum verborum proprietatem examinetur , falsum est ; etsi improposito quodam sensu admitti possit : quocunque sumatur significatu , contra sacra Ecclesiæ jūra nihil efficiet , nisi quis hypothesis sectariorum , sive sistema territoriale , ut vocant , tacite assumat , et Ecclesiam regimi sacerdotali subjiciat .

XLVI. In judiciis non datur casus pro amico .

XLVII. Judex reum , quem privata scientia certo scit esse innocentem , nec in causa civili , nec criminali condemnare potest , etsi videatur probari nocens .

XLVIII. Res judicata non habet locum in conscientia , si postea de jure partis certo constet , aliasque titulus non accedat .

XLIX. Lex prohibens vel irritans actum , in utroque foro tam interno quam externo eum prohibere vel irritare censenda est . Fieri tamen potest , ut lex positiva , quæ actum simpliciter irritare videtur , non omnem ei valorem etiam pro foro interno auferat , si qua obligatio eidem actui aliunde competit :

L. Exemplum præbet jus Romanum circa actus quosdam pupillorum sine consensu tutoris initos .

LI. Qui e territorio egreditur , ut obligationem legis evitet , neque obligationem legis , neque peccatum reipsa evitat .

EX JURE NATURALI GENTIUM .

LII. Si confusa veterum jurisconsultorum Romanorum de jure gentium idea revocetur ad distinctam , nullum relinquitur jus gentium voluntarium , a naturali diversum .

LIII. Gentis nomine non quæcunque familiarum multitudo venit , sed ea duntaxat , quæ communi imperio securitatis causa constituto regitur , quæcunque imperii seu regiminis forma sit ;

LIV. Igitur homines vagi , palantesque in insulis , et silvis , nullo summo imperio consociati , in quibus magis aggregatio , quam societas familiarum conspicitur : itemque latronum turba eum in finem conglomerata , ut alias invadant regiones : aut factio rebellium , aut denique populus a suo principe desciscens , gentium jure , ac nomine nequaquam gaudent .

LV. Qui inter veram Christi Ecclesiam , et sectas ab ea avulsas , ac inter semet dissidentes principia juris gentium locum habere fingunt , indifferentismi videntur patrocinium suscepisse .

LVI. Oceanus secundum totam suam vastitatem spectatus nativa sua libertate gaudet , nulli subjectus ; quoad minores tamen tractus et quoad sinus dominium non respuit , nec vincula conventionum .

LVII. Præscriptioni inter gentes admittendæ non favent ea , quæ Ammonitarum regi terram Israel invadenti a Jephte in responsis data sunt . Judic . XI , v . 26 .

LVIII. Exceptio metus non perinde in jure gentium , ac jure naturæ privato locum habet .

LIX. Justa belli inferendi causa non est crescens vicinæ gentis potentia , aut æquilibrium .

LX. Non christiani ducis , sed furentis hominis est , nullo suo bono nocere alteri genti , et ea perdere , quæ nec hosti vires adimant , nec perdenti emolumentum afferant .

LXI. Ceterum qui servato naturæ jure receptam inter cultiores gentes bellandi consuetudinem non observaverit , non alia ex causa violati juris gentium argui potest ,

ac ille imperitiæ inter gladiatores accusatur , qui adversarium non secundum regulas artis vulneravit.

LXXI. Quando A. 1444 cardinalis Julianus Uladislao Hungariæ et Poloniæ regi declaravit , eum pacificatione cum Amurathe II inita non ligari ; nihil dixit , vel suasit contra principia juris gentium ; multoque minus Eugenius P. IV qui totum id ratum postea habuit.

EX JURE ECCLESIASTICO PUBLICO.

LXXXIII. Circa jus sacrorum protestantes Germaniæ varias hucusque hypotheses excogitarunt pro opportunitate temporum et circumstantiarum. Solum systema catholicum , quo jus istud tribuitur prælatis ecclesiasticis , nititur principiis solidis et stabilibus.

LXIV. Nomine autem juris sacrorum et causarum religionis non sola venit authentica declaratio dogmatum , sed inde a primis sæculis eo nomine intelligebantur alia negotia ecclesiastica , ceu causæ episcoporum , determinatio limitum diœceseon vel patriarchatum , administratio bonorum Ecclesiæ temporalium.

LXV. Nihil tam dissonum , secumque ipso pugnans excogitari facile potest , quam doctrina quorundam scriptorum , qui spreta ultimorum temporum disciplina , extollunt veterem , et insuperhabito veteri fidei zelo , tolerantiam commendant sectarum a fide Romano-Catholica alienarum.

LXVI. Capitulares electuri episcopum , ejusdem potestatem nec in sacris , nec in temporalibus per capitulationes etiam jurejurando munitas limitare possunt.

LXVII. Electionem sui ad prælaturam licite acceptare non potest , qui ex occulto defectu scit se indignum esse.

LXVIII. Cum episcopi Germaniæ duplice agant personam , et hierarchæ sacri , in centrum unitatis tendentis , et principis imperii ; merito etiam duplices juramenti vinculo sese adstringunt.

LXIX. Matrimonii contractus inter fideles regitur legibus naturalibus , politicis , et ecclesiasticis , eo nempe fine ac gradu , quem unaquæque lex habet propositum.

LXX. Illi fini ac gradui perquam conformis fuit declaratio A. 1629 ; edita a Ludovico XIII. Galliæ rege , qua edixit , leges politicas de nullitate matrimoniorum , quoad effectus civiles duntaxat , et in foro externo , non autem quoad substantiam et nullitatem intrinsecam intelligendas esse. Teste Fevreto , jurisconsulti Galli non aliter interpretati sunt edicta regia.

LXXI. Si lex pontifica generalis , et non mere declaratoria Romæ promulgata in provinciis speciatim non promulgetur , subditi ab ejus observatione regulariter excusantur , ex præsumta voluntate summi Pontificis , non urgentis observationem legis in provincia ; hæc tamen præsumptio cedit veritati certo cognitæ de contraria voluntate ecclesiastici legislatoris.

EX JURE ECCLESIASTICO PRIVATO.

LXXII. Cum principiis juris naturalis de valore actuum penitus consentit declaratio a S. Gregorio P. VII. facta Henrico episcopo Leodiensi , ab Arnulpho Comite injuste exscoliato , atque ad jurandum vi adacto , quod res ablatas nunquam repetere , ac prædatori veniam a Papa impetrare velit. De hoc juramento ita rescripsit sanctissimus Papa : *de juramenti injustissima obligatione dilectioni tuae sic respondemus , non debere existimari , eam ullis juramenti vinculis posse teneri , quæ tam nefandissime coacta juraverit.* Hartzheim concil. Germ. T. III , p. 189.

LXXIII. Pròvide tamen cavent sacri canones , ne , qui metu coactum se jurasse causatur , suo unius judicio de religione jurisjurandi definiat. Quocirca idem sanctus Pontifex in suo ad episcopum responso addidit : *unde et apostolica te auctoritate absolvimus , ut non tuae vel alicujus conscientiae ob hoc videaris annexus , aut debitor esse.*

LXXIV. Juramenta secundum principia naturalia juris non modo ob vim et metum , sed ex aliis præterea causis sœpe invalida sunt ; perpetuo tamen cavent sacri canones , ne quando nomen Dei videatur in vanum fuisse assumptum.

Hinc si juratum est de usuris solvendis, aut solutis non repetendis, aut de non agendo super repetitione earundem; decisum est, ut creditores usurarii districione ecclesiastica compellantur, ea juramenta relaxare, et ab exactione usurarum desistere, et quidem ante earum solutionem; uti statuitur c. i, de jurejurando; et c. tuas. 13, de usuris.

LXXV. In celebri cap. debitores. 6, de jurejur. ita statuitur: *debitores, si de usurarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere juramentum. Et cum usuræ solutaæ fuerint, creditores ad eas restituendas sunt ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi.* Ut hæc decisio concilietur cum aliis canonibus, neque ut nugatoria explodi possit, cum Innocentio P. IV in commentario ejusdem capituli opinamur, tunc demum debitores, si de solutione usurarum juraverint, cogendos esse Domino reddere juramentum, quando de promissione usuraria judici non constat, aut quando judex parte altera non audita, eoquod sui copiam non faciat, aut tempus solutionis jam instet, illud ex officio relaxare nequit. Sed hoc ipso casu, si postmodum de usuraria pravitate compertum sit, creditores ad usuras restituendas, sunt ecclesiastica severitate, si necesse fuerit, compellendi.

LXXVI. Sponsalia inter impeditos impedimento juris humani, inita sub conditione: *si Papa dispensaverit;* non sunt vera ac valida sponsalia, quæ impedimentum publicæ honestatis, aliosque effectus producant.

LXXVII. Spectata naturali æquitate et mente SS. Canonum beneficium restitutionis in integrum non videtur denegandum sponsis minorenibus in contractu sponsalitio graviter læsis, si occurrentes circumstantiæ, quæ aliis negotiis circa hoc beneficium sunt communes, illud postulare videantur. Atque hoc remedio sponsi consulent conscientiae suæ, quæ per solam exceptionem denegatæ actionis minime tuta est.

LXXVIII. Inter personas consanguineas in linea obliqua, quarum una a communi stipite distat primo gradu, altera quinto, citra dispensationem licite et valide contrahitur matrimonium. Positio est contra Carpzovium Jctum

acatholicum, de usu arboris consanguinitatis. N. XXX, Casum factum, non fictum refert Gobat Tract. IX, Cas. VII, n. 164.

LXXIX. Vitricus valide dicit in matrimonium eam, quæ sui privigni jam defuncti uxor erat: et noverca eum, qui privignæ defunctæ maritus fuit.

LXXX. Impedimentum criminis etiam is incurrit, qui tempore, quo crimen commisit, ignoravit, annexum eidem esse jure ecclesiastico tale impedimentum, dirimens matrimonium.

LXXXI. Ex eo, quod sciens jus alienum liberetur ab obligatione servitutis rusticæ, inferri non potest, quod scientia juris alieni non obstet præscriptioni. Unde debitum indefinite contractum triginta annorum lapsu extingui cum scientia juris alieni, nequaquam arbitramur.

LXXXII. Qui obligatus solvere annum censem, vel præstationem in certo genere monetæ aut frugum, ultra longissimum tempus in alio, et quidem minoris valoris genere solvit, is præscribet primæ obligationi solvendi, et quidem unico actu tam pro præterito tempore, quam futuro.

LXXXIII. Actioni pignoratiæ directæ quovis longissimo tempore non præscribit creditor pignus possidens; ac proin debitor oblato et exsoluto, vel rite deposito debito, jure optimo repetit pignus, non obstante cursu temporis longissimi.

LXXXIV. Beneficiati obligantur ex justitia bona beneficia superflua erogare in causas pias, ita, ut totum id, quod in usus profanos ex iisdem profuderunt, causis pii compensare, et restituere teneantur.

LXXXV. Successor particularis non tenetur solvere decimas præteritas ab antecessore non solutas.

LXXXVI. Promittere vel dare, exigere vel accipere aliquid temporale pro ingressu ordinis religiosi, est simonia juris divini et naturalis.

LXXXVII. Omnis pactio simoniaca jure naturæ irrita est, et nulla; unde prono alveo fluunt regulæ de restitutione ejus, quod simoniace acceptum est.

LXXXVIII. Usura mere lucratoria jure naturali et divino est prohibita; nec ulla universalis Germanie lege permitti-

tur. A contractu autem mutui differt contractus censualis etiam redimibilis ex utraque parte.

LXXXIX. Usuram continet pactum antichreseos, et lex commissoria pignori adjecta, quod valore debitum superat.

xc. Jurisconsultus Julianus L. 29. digestorum memorabilem de testamentis casum ac decisionem refert, exhibitam L. si ita. 13. D. de liberis et posthumis heredibus : « *Si filius mihi natus fuerit, ex besse heres esto: ex reliqua parte uxor mea heres esto; si vero filia mihi nata fuerit, ex triente heres esto: ex reliqua parte uxor heres esto;* et filius et filia nati essent: dicendum assem distribuendam esse in septem partes, ut ex his filius quantuor, uxor duas, filia unam partem habeat: ita enim secundum voluntatem testantis, filius altero tanto amplius habebit, quam uxor; item uxor altero tanto amplius, quam filia. Licet enim subtili juris regulæ conveniebat, ruptum fieri testamentum; attamen cum ex utroque nato testator voluerit uxorem aliquid habere; ideo ad hujusmodi sententiam, humanitate suggesta gerente decursum est. » Secundum hanc decisionem in dividenda hereditate servata est proportio a testatore assignata, quam invenire pro omni casu non ita expeditum est, ac in eo, quem Julianus attulit. Quid enim? si ita scriptum sit: *si filius mihi natus fuerit, huic obveniant quinque, matri quatuor partes; si nata filia: huic dentur septem, matri novem partes:* si nascantur ambo, quantum debebitur utriusque secundum priorem decidendi regulam? generalem solutionem felix algebra subministrat. Sit tota hereditas a . proportio filii ad proportionem matris = $m : n$; portio matris ad portionem filiae = $o : p$; dicanturque proportiones filii, matris, filiae x, y, z ,

$$\text{eritque } y = \frac{\text{ano}}{\text{anp}}. \quad x = \frac{\text{amo}}{\text{anp}}$$

$$z = \frac{mo + no + np}{mo + no + np}$$

O. A. M. D. G.

